

xis nimis familiaris & consueta tyrannis Turcicis, ita Machomet 2. dominandi libidine inflatus eo die, quo Pater è vivis excessit, fratrem sibi à patre multis lachrymis commendatum, inque cunis adhuc vagientem Thursinem interfecit, matremque his verbis solatus est: *Veterem Othomannorum consuetudinem esse Principum, ut ceteris interfectis unus semper reliquatur in regno, nam ut neque plures sint Dii, neque Soles, ita neque plures debent admitti Reges.* Imitatus hoc est Selimus, qui non solum Bajazethem patrem veneno extinxit, sed & duos fratres Achmet & Curckut, cum tribus hujus filii strangulavit, quod mortis genus inter Turcas ideò sustinere debent, qui Cæsarei sanguinis sunt, quia indignum judicant, sanguinem Cæsareum attingere terram, quod licet Selimus deprecatus sit, qui venis incisis in balneo mori voluit, id tamen impetrare non potuit, referente Cuspiniano. Nos utramque causam putamus conjungi posse, dum enim fratres piissimi patris vestigia prementes idololatriæ detestandæ à fratre stabilitæ se opponebant, facile potuit is in suspicionem sinistram delabi, & eò detorquere monitum optimum, quasi affectarent regnum, vel quod principes ducti odio erga religionem impiam, solio eum deturbaturi, aliumque ex serie fratrum in eo collocaturi sint.

§. VI. Altera pars, circa quam occupatus est Elias in suis literis, agit de *vepéou* & *vindictâ divinâ*, non enim potuit justissimus scelerum vindex tam nefanda & crudelia facinora dimittere impunita. Non autem unum poenæ genus Joramo denunciatum est, sed pro *varietate objectorum varium*, quamvis *singula in ejus punitionem fuerint directâ*; aliud enim respicit *personas*, ad quas sunt subditi referendi, filii, & uxores; aliud *bona externa*, & substantiam;